



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

Caput I. Ubi de his fructibus præmittitur aliquid generatim.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

P A R S VI.
In qua nonnulli fructus eximij
hujus exercitationis colliguntur.

C A P U T I.
*Ubi de his fructibus præmittitur aliquid
generatim.*

Cant: 2.

*Harphius de
rup: grad: 7.*

In ps. 36.

Nimæ Crucifixum amantis, & ad suavissimos
ejus amplexus aspirantis, vox illa agnoscitur
in Canticis: *Sub umbra illius quem desideravi
sedes; & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Qui-
bus illa sibi gratulari videtur, quòd ex Sponsi sui Verbi in-
carnati præsentia (nam umbra quædam Divinitatis est Chri-
sti humanitas) tam suaves fructus, tamq; innumeras utilitates
percipiat: potissimum autem (ut ego quidem interpretor)
ex ipsius Dei-hominis crucis ligno suffixi, seria otiosaque
contemplatione. Quippe Christo in cruce pendenti, &
brachia sua ad sanctarum mentium umbraculum ac prote-
ctionem expandenti, illud specialiter congruere videtur,
quod in psalmo 90. scriptum est: *Scapulis suis obumbrabit
tibi:* quod ibidem quoque video S. Hieronymum annotasse.
Et crux ipsa, quamvis lignum exsiccum emortuumq; vide-
atur; arbor tamen est opaca frondibus, & ramos suos latè
diffundens: ut proinde gratissimam umbram animæ pro-
beat adhuc peregrinanti, atque ab æstu sæculi, durig; labo-
ris tædio, nonnihil interquiescere atque inerspirare cupi-
enti. Unde etiam S. Ambrosius ad illud Jeremiæ respiciens:
In umbra ejus vivemus, ait: *umbra alarum, umbra crucis,* an-
te

Francisci le Roy Occupat: Crucifixi Pars VI.

bra est passionis. Et alibi: Quomodo (inquit) non sumus in umbra, qui crucis ejus protegimur velamento? *Serm. 3. in ps. 118.*

Pia igitur anima (ut quod propositum est exequar) sub umbra sedens Crucifixi, hoc est, non obiter aut leviter, sed constanti longaq; exercitatione crucis Christi mysteria contemplan, multifarios ex ea fructus, odore suaves, sapore jucundos, usq; salutare colligit: quorum nonnullos hac ultimâ parte apponere visum est, tragematum vice, & tanquam extremo interioris gustatûs irritamento.

Neque verò hoc loco fructuum nomine universos intellige sanctos affectus, quos de crucis aut Crucifixi intuitu colligere potest sedula aut solers contemplatio (infinitum quippe id esset: cum nulla sit salutaris affectio, ad quam non conducatur meditatio passionum Salvatoris) sed eâ duntaxat appellatione hic comprehendo, vel constantem aliquem statum animi, & quasi habitum certæ virtutis, qui etiâ nullo studio aut destinata industriâ quæsitus, quasi suâ sponte atque naturâ, ex ea exercitatione proveniat; vel quædam certè charismata aut dona singularia, & mirificas prærogativas, quibus Deus in vita, aut post eam eximios crucis Christi amatores munerari consuevit.

Atque istos fructus visum est idcirco duodenos numero proponere, ut arborem crucis ostendamus, isti ligno vitali similem, quod in cœlesti Paradiso ad fluvium aquæ vitæ *Apoc. 22.* constitutum, affert fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum; uti S. Joanni in Apocalypsi monstratû est. Sed de his fructibus particulatim nunc est dicendum.

CAPVT II.

Ingens peccati horror & detestatio.

ID quippe in primis pro explorato ponendum est, quod Sancti testantur, & ipsa confirmat experientia: assiduâ Chri-